Matthiæ Leij, Aruillarij vbij
GERMANI,

1070 5
2

LIBER
DE TRIVMPHATA BARBARIE.

IOH. MAVRITIVS

Anno Domini. 1621.

Ad criticum Lectorem.

TV, qui hæc Astrææ trutinanda bilancibus, aut qui
Censoris genij more legenda petis,
Qualia, non quot sint, iusti memor accipe iudex:
Si bona, multa satis; si mala, multa minis.

Matthiæ Leij, Aruillarij Vbij Germani.

LIBER

DE TRIVMPHATA BARBARIE.

BElla cano, quæ cæde vacant, quæ pace triumphant,
Quæ populos ditant, quæ fera monstra domant.
Bella cano, quæ sunt Phœbiq; *nouemq; sororum,*
Contra Barbariem *non leue* Martis *opus.*
Vos mea Pegasio *perfundite labra liquore,*
Vos, quibus alati fons habitatur equi.
Vt vestra dignum moduler virtute triumphum,
Vt vestro dignum Marte *poëma canam.*
Est fera, quæ humanam non exprimit indole vitam,
Nec mores, qui sunt pectoris ingenui.
Nomine Barbaries, *tutela tyrannidis, ora*
Incola Tartareæ, filia desidiæ.
Crispatis hirsuta pilis, hirsuta capillis,
Aspectuq; ferox, & truce voce minax.
Omnibus horribiles qua corporis induit artus,
Turpia monstrosa pondera molis obit.

Olli nec ratio, nec mens, nec sensus in vsu,
Vlla nec est artis mica, nec vlla salis.
Deniq; tota furens rabie canis instar, & vrsæ
Omnia Virtutum *nomina persequitur.*
Huic Phœbus, *diuæq; omnes, quas nomino* Musas,
Ardua Parnasso *bella creante mouent.*
Classicum Apollo *canit certaminis author, & ortas*
A Ioue *germanas aptat in arma deas.*
Iusta, Citheriades, *nobis sunt bella, sorores,*
Inquit, in immanem suscipienda feram.
Hæc est Barbaries *vel tigride sæuior, hæc est*
Bellua, cui Lybiæ non habet ora parem.
Hæc est, quæ est Stygias patriam sortita paludes,
Et quos Eumenides *nostis habere lares.*
Hæc est desidiæ *soboles, cacodæmonis hospes,*
Stultitiæ pariter nequitiæq; parens.
Hæc in mortales odijs grassatur, & iris,
Inq; immortales impietate deos.
Hactenus hæc alibi nostros vitiauit honores,
Quasq; in thesauris artis habemus opes.
Iam volet his nostris quod asylon habemus in aris
Tollere, & à nostris nos remouere sacris.
Templa profanabit, templa hæc Parnassia, *si non*
Quod facit huc veniens impediamus iter.
Ast ego non patiar tam horrendi Barbara monstri
Nomina in hac nostra nos violare domo.
Vos mecum certate deæ, pugnate Camœnæ;
Tam bona communi causa iuuetur ope.
Dux ego vester agam, vt mea tela sciatis habere
Robora in illius perniciosa caput.
Phœbus. *Est mihi multarum diuina potentia rerum,*
Quæ vario varium nomine munus obit.

Quæ

Quæ plus quàm humano Sapientia *pollet honore,*
Est sub tutelæ salua salute meæ.
Ars, quæ lætitiæ comes est, & amica iuuentæ,
Musica honore sui me scit ouare dei.
Apto subinde suis arcum tendendo sagittis.
Venatrix me vult sponte Diana *sequi.*
Primus & inuenti sum carminis author, & author
Inuenior medicæ primus in arte rei.
Cuncta meis totum radijs illustro per orbem:
Totus ab hoc vitam lumine mundus habet.
Artes arte regens, & Martem Marte *gubernans,*
Me sine Martis *inops* Pallas, *& artis erit.*
Omnia vaticinor, quæ sunt ventura, quòd omnis
Res sit notitiæ prestò futura meæ.
Ne mea perpetuo priuetur honore potestas,
Semper ero vestri duxq; caputq; chori.
I nunc, Barbaries, *&, si potes, arma retracta,*
At scelerata meo sub pede trita jaces.
His ego, germanæ, remoror conatibus hostem,
Nec sino directis huc properare vijs.
Vos illam vestro iam nunc Mauorte *petitam*
Debellate nouæ robore militiæ.
Hoc vt Apollo *suas monuit clangore sorores*
Æmula in aduersam promere tela feram.
Prima nouenarum CLIO, *seniorq; sororum,* Clio.
Tali est fraternos ore secuta sonos:
Iussis, Phœbe, *tuis nos his parere videbis,*
Et tua nos animo castra lubente sequi:
En ego sum CLIO, *cuius virtutibus impar*
Cætera Castalidum *numina numen habent.*
Nominor actarum custos fidissima rerum,
Et lux, æterni filia prima Dei.

Qic-

Quicquid in humanis geritur memorabile rebus
Non sino fatalis monstra videre vicis.
Vindico ab interitu magnorum nomina regum,
Et quæ per claros parta fuere viros.
Annales, fastiq; mei transacta reducunt.
Tempora cum statibus singula quæq; suis.
Me duce prudentes præuisa pericula vitant,
Et quæ sectantur me duce tuta vident.
Deniq; nostrorum monumenta æterna laborum,
Eruditiq; homines, eruditiq; deos.
Si quid in hoc vitæ, famæq; reliqueris hoste,
Hoc ego in historiam non sino stare meam.

Melpomene. MELPOMENE *Tragici famosa tumultibus hædi,*
Sic ait ad primam diua secunda deam:
Quamuis nosse velis gestarum oracula rerum,
Et graue supremæ nomen habere deæ,

Effectus historicus præsupponit Tragicum. *Es tamen orta mei, soror, ex virtute cothurni,*
Quo mea te pariunt more theatra petunt.
Nostra potens gemini virtute Tragœdia *scuti*
Vincit ab historicis arma petita fabris.
Quamuis in nostris agat inconstantia ludis,
Et Proteus *Tragicæ detur origo scholæ,*
Naturæ tamen vlla meæ mutatio non est:
Sum dea, quæ certis ambulo firma vijs.
Personas fortuna meas leuis excipit omnes,
Nec sinit esse mea cum grauitate graues.
Induit instabiles dubia sub imagine vultus,
Et secum varias cogit obire vices.
Prima quidem lætis exultat scena triumphis,
Vltima tristitiam fœta dolore parit.
Illa ego sum, quæ hominem doceo reuerentiùs vti
Fortuna, & dubiæ non inhiare spei.

Barbaar

Barbara si finem mens præmeditata fuisset,
Iam per lethalem non foret ægra luem.
Quæ mihi concedunt, prima sunt præmia palmæ.
Laus mea de primi prodit honore loci.
Comica, quæ cum humili sequitur sermone, THALIA Thalia.
His ad Melpomenen *vocibus vsa venit:*
Ad me a me leuibus, soror, induo pulchra soccis,
Vt doceam mores sub leuitate graues.
Si quandoq; meis contraria moribus audis,
Audis quæ nullis sunt imitanda bonis.
Trado quid ingenuas formet cum ciuibus vrbes,
Quid iuuet agrestes, promoueatq; domos.
Monstro quid vxori sit honestum, & turpe marito,
Quid deceat iuuenem, dedeceatq; senem.
In Domini Imperium, seruiq; cachinnor in astum,
In natum facilem, difficilemq; patrem.
Per me formatos cum nominis indole mores
Æmula cordatæ filia matris habet.
Ne vel heræ videar, vel serua addictior, æqua
Ambabus leges conditione fero.
Sæpius ad lepidum spectantes prouoco risum
Comiter vrbanos mima professa jocos.
Sæpius ambiguo promiscua prodio vultu,
Dimidioq; mei, dimidioq; tui.
Principium sentit nonnullos triste dolores,
Finis habet plenæ gaudia lætitiæ.
Quæ sua Threicijs componit cantica neruis,
TERPSICHORE *in laudes sic fuit orsa suas:* Terpsichore.
Quæ mihi debetur, primo stat in ordine sedes,
Primaq; in hoc nostro sunt mea iura choro.
Quum digitis diuina meis testudo feritur
Auditur lecti Musica chorda soni.

Barbita,

Barbita, quæ passim exhilarant homines q̃ deos q̃,
Sunt solo ingenij digna labore mei.
Excitus ad citharæ, vocis q̃ iuuamina nostræ
Saltat Hamadriadum, Naiadumq̃; *chorus.*
Quum mea festiuis demulceo nablia palmis,
Frango in spiritibus corda maligna malis.
Quæ chelys est nostri fratris recreatio Phœbi
Gaudeat inuenti nomen habere mei.
Ne noceant infesta mihi cantare volenti,
Barbara monstra meæ mitigo voce lyræ.
Euterpe. *Musa per inflatas* EVTERPE *turgida buccas*
Hoc petit Orpheam mordicus ore deam:
Si, quantum in lingua, tantum in virtute valeres,
Te, soror, inferior, deteriorq̃ forem.
Musica, quæ Martem *accendit, tua filia non est,*
Sed mea, de genij numine nata mei.
Quæ ciet horrendam imperterrita bucciua pugnam,
Me venerata suam iure fatetur heram.
Dum lituo resonante meo ruit hostis in hostem
Non metuit, quamuis triste sit, ense mori.
Quando cruenta suis Mauorti *quæritur armis*
Plaga fit ad nostram cassa dolore tubam.
Quæ fit ab vtriculis fit nostræ dotibus artis,
Quamuis sit rabidis vox inimica lupis.
Cantu sæpe suo mea me recreare laborat
Fistula non paucis apta foraminibus.
Quum sonat inflato vocalis tibia cornu,
Tibia vocalis non nisi nostra sonat.
Quod potis est summo laudes cantare Tonanti,
Non est vile meæ cymbalon artis opus.
Caudata meus est sonus in sartagine quando
Cum Nisa *choreas coniuge* Mopsus *agit.*

Si

Si quandoq̃ meis careant tua plectra cicutis,
Iustis harmoniæ partibus orba carent.
Nomen habens ERATO *cunctis optabile* Musis, Erato.
Non vult iura sui sexta vocare loci.
Quin, ego cum primis, inquit, me colloco diuis,
Me natura mei summa parentis amat.
Omnia cunctarum commercia mutua rerum,
Quæ sunt per numeros discutienda, rego.
Singula distinctis discrimino corpora formis,
Inq̃ recepta suis cogo manere locis.
Æquora litoribus, fluuioq̃ coërceo ripis,
Et sto cum immotis ad pigra stagna vadis.
Omnia sub numeris elementa suapte laborant
Sponte per alternas se renouare vices.
Ver floret numeris, numeris se perficit Æstas,
Omninoq̃ omnes huius, & huius opes.
Ad numerum Autumnus vinosas educat vuas,
Et sensim ad numerum nata ferocit Hyems.
Quod primum in motu est numerorum mole mouetur.
Nascitur ex numeris tempus, & hora meis.
Ardua per numeros spacioso machina cœli
In medio gemini voluitur axe poli.
Per numeros est nota rei cuiusq̃ capedo,
Et quod rem qualem, quam notat, esse facit.
Enthea *mensuris numerosis cognita* Mens *est,*
Mens, quæ vix alijs est adeunda vijs.
Me sine tota ruens natura creata rediret
In rerum antiquum, semina prima, chaos.
Barbaries *numerat per me tot vulnera, quot sunt*
Artes, quas numeris constat egere meis.
CALLIOPEA, *suæ veneranda poëtria sectæ,* Calliope, *siue* Calliopea.
Eleuat has omnes, attenuatq̃ deas:
Et mea sunt, inquit, potius, quam vestra, sorores,
Arma, quibus morti Barbara vita datur.

Carmina in historicis habeo sublimia rebus,
Iná, cothurnato grandia metra pede.
Comica scena mei secum modulamina plectri,
Cœpit ad ingenuas ferre magistra scholas.
Quos Erato *numeros habet omnibus incuba rebus*
Gaudeo cum numeris fœdus inisse meis.
Qui canit igniuomas, cœlestia lumina, stellas,
Donec erunt stellæ noster Aratus *erit:*
Sæpe suo Rhetor sapit in sermone poësin;
Versibus Orator sæpe disertus ouat.
Vatis in ore suam Virtutis *gloria famam*
Ponit, fama suam vatis in ore tubam.
Hostis vbiq; graui percussa poëmate flet, quòd
Tam sit in hoc miles Marte *Poëta potens.*
Vrania. VRANIA *ex imo promens suspiria corde,*
Prodit pacificæ conscia signa deæ;
Et, vobis cum, inquit, rixari nolo, sorores,
Quin contenta mei sum statione loci.
Felices animæ, quæ mecum scire laborant
Omne, quod ætherei scitur in orbe globi.
Quas humeris stellas, quæ sydera maximus Atlas
Sumit, ego ingenio sumo gerenda meo.
Sunt mihi cum æterno immortalia nomina cœlo,
Et cum supremo patria tecta Ioue.
Debita crudeli sua mors dominabitur hosti,
Polyhymnia, seu Polymnia. *Donec in* Vrania *vita superstes erit.*
Ordine Castaliæ *postrema* POLYMNIA *turbæ,*
Attamen eloquij prima lepore sui,
Hac, ait, in causa pro me pugnabo, sorores,
Et faciam quod vos quæritis esse meum.
En ego Rhetorica, oratricis acinace, lingua,
Bella gero, suadæ *fons, & origo deæ.*
Gestibus & verbis pariter cum nutibus vtor,
Et quasi totius corporis ore loquor.

Omnia muto meis orantis in omnia dictis;
Non est quæ arbitrio sit mala causa meo.
Suscito monstriferæ miracula voce loquelæ,
Et Iouis *officium, cuncta creantis, ago.*
Me dicente nouis surgunt noua corpora formis,
Et rerum facies antè creata perit.
Terra parit stellas, frutices, & gramina cœlum,
Humor inest flammis, flammeus ardor aquis.
Quos volo possum animos in vtramq; inflectere partem,
Me mea Flexanimam *vis facit esse deam.*
Barbariem *sermone petens quasi fulmine sterno,*
Iná, acie primas glorior esse meas.
Quum facunda loqui Polyhymnia *desijt, & quum*
Ora quater geminæ continuere deæ,
Phœbus *ad armatas irata bile* Camœnas,
Et ducis, & fratris more locutus ait:
Nunc inhibete animos, hostilia corda, seueros,
Nunc graue magnanimi ponite Martis *opus.*
Hostis in his nostris deleta est Barbara castris,
Noster in hoc victor Marte *triumphat honor.*
Omnibus est vobis par in certamine virtus,
Altera in alterius robore robur habet.
Nulla subest vbi nulla præest, vbi circulus omnes
Nectit, & æquali donat honore chori.
Posthac Parnassus *plures victoris honores,*
Plura, triumphantis signa, trophæa geret.
Quando hæc verba suo de pectore pacis amator,
Protulit in litem nulla relapsa fuit.
Ast pepigere omnes renouati fœdus amoris,
Mutua porrectis fixa per oscla genis:
Et cœpere vagas circumgyrare choreas.
Et vario harmonicos ore sonare modos.
Iure potestatis Phœbus *sedet inter ouantes,*
Et regit æternas fratris amore deas.

Scientiæ sunt æternæ.



AD CANDIDVM LECTOREM.

MAgnam horum epigrammatum meorum partem, candide lector, ad quinque libros de *Regina Pecunia*, per me conſcriptos referendam eſſe velim ſcias. Nolim inſuper tibi reliquam eſſe occaſionem admirandi, qua de cauſa elucubrationis meæ laboribus ſimul omnibus publici iuris beneficio vtendi fruendi poteſtatem non faciam? Vniuerſum opus flagitat ingenuæ indolis genium, promptæ, & quaſi ſpontaneæ voluntatis Mecænatem. Inuito non vult obtrudi. Renuit frequentare habitaculum ingratitudinis. Non dignatur eſſe domeſticum inhumanitatis. In turpes auaritiæ ſordes inuehitur. Euehit encomijs honeſtos liberalitatis mores. Quapropter tunc demum lucis erit alumnum, quando anima Munificentiæ vltro aſſumpſerit adoptiuum quod omnibus ſeculis futurum ſeruum ex vtero intellectus mei procreatum eſt liberum.

Vale.

Liber

Liber Epigrammatum.

MATTHIÆ LEIJ, Aruillarij vbij GERMANI.

REGINA PECVNIA NVPTVI DATVR,

IACOBO PRIMO, Magnæ Britanniæ Monarchæ.

QVi fers Regali tres maieſtate Coronas,
Indignus vidui conditione tori,
Sume, IACOBE, *animos, ſpem conjugis indue, præſto*
Eſt noua ſexcentis ſponſa petita procis.
Filia noſtra tuum, Regina Pecunia, *vultum*
Quærit, & amplexum cogitat, optat, amat.
Te quaſi magnetem ſequitur, quaſi Cynthia fratrem,
Litoraq; Albionis, litora pacis, adit.
Regibus è cunctis non eſt, cui nubere mavult,
Quam tibi, te ſolo digna marita viro.
O, te felicem, fortunatumq; maritum,
Ad quem Iuno ſuum fert diadema Iouem.

Cel-

Celsissimo Principi
CAROLO.

PRinceps, ter gemini diadematis vnicus hæres,
Cui Cambri dominum non habuere parem;
Quòd mea gnata parat, Regina Pecunia, *patri*
Vxor adesse tuo, CAROLE, *pone metum.*
Pone metum, inuenta est sine prole futura nouerca,
Nempe sui cerebro nata Minerua Iouis.

Illustrissimo Marchioni
GEORGIO VILLERIO.

MArchio, sceptrigeræ clarissimus Hesperus aulæ,
Marchio, VILLERIÆ, *Phosphorus orte domus,*
Hæc mea progenies, Regina Pecunia, *Regi*
Nupturit optatis (vt reor) ominibus.
Haud leue quod titulis tibi iam virtute paratis
Momentum addideris, si Paranymphus eris.

Ad illustrem & generosum Dn. FRANCISCVM BACONVM, magnum Angliæ Cancellarium, *Baronem Verulamij, & Vice-comitem* Sti. ALBANI.

QVi decus es regni, moderator iuris, & æqui,
Et generosa tui factus imago patris,
Qui noua proficuo scribens documenta labore,
Fax es Apollineæ non sine luce scholæ,
Vt longæua sui sit numinis hospita virtus,
Longa sit ingenio vita, BACONE, *tuo.*

Ad

Ad illustrem & generosum Dn. IACOBVM HAIVM, Vice-comitem Doncastriæ.

TV cum fortuna pugnas in amore secunda,
O fortunatis annumerande viris;
Illa sui census tibi soli destinat vsum,
Sed tu solius non sinis esse tuum.
Tu cum sexcentis tua diuidis, illa reuuit,
Tu vel mille animas rursus habere facis.
Haie *boni pariterq; pij Iouis æmule sola*
Victor in hac pugna Iuppiter esse potes.

Ad IOANNEM Secundum, *Qui olim Romanorum Imperatori* CAROLO QVINTO, fuit à secretis Lat.

ORdo tuus non est, titulusq;, Secunde, Secundi,
Qui summo vatum principe digna canis;
Qui dum castra tui sequeris diuina Gradiui
Fers sub Gradiuo me prior arma meo.
Quanta ego Matthias *tibi sum ratione Secundus,*
Tanta Ioannes *tu mihi Primus eris.*

Splendidissimo Equiti, *Adamo Neutonio*, Principis Walliæ Quæstori.

ESt opus æternis æterno præside Musis,
Qui gerat Actiaco debita sceptra deo;
Qui norit qua sit liquor arte bibendus aquai,
Quæ cursim alati sub pede fertur equi.

Per

Per quem Barbaries à nostræ partibus oræ
Pulsa Tomitanos occupet exul agros.
Quum tu hæc, Neutoni, *nostræ sis omnia Musæ,*
Æterno dignus nomine præses eris.

V. Cl. IOANNI MORAVO, Regi Britanniarum à Cubiculis.

VIta ministerio virtutis regia gaudet,
Gaudet nostra tuo Musa patrocinio:
Esto patronus huic quo corde minister es illi,
Sic facies neutrum iure, Moraue, *queri.*

Admodùm eximio Equiti, *Iacobo Fullertono,* Principi Walliæ à Cubiculis, & Consilijs.

CVm virtus, quæ vera viri constantis imago est,
Fullertone, *tuum deseret ingenium,*
Signifer à solitæ discedet tramite metæ,
Et sol conuersis retro meabit equis.

V. Cl. & Excellentissimo, Dn. *Thomæ Morauo,* Cambrorum Principi à secretis.

PRincipibus placuisse viris non vltima laus est,
Sed laus, quæ prima est, est placuisse Deo.
Qui laudes ab vtraq; petit virtute sequatur
Quæ sequitur genius castra, Moraue, *tuus.*

Cla-

Ad clarissimum virum,
Dn. THOMAM RHÆDVM,
Regiæ Majestati à secretis Lat.

MIra quidem res est, quòd in omnibus vnus, & idem
In cœlo, inq; solo, constituare plagis.
Mole sua Enceladus totam non occupat Ætnam,
Vixq; nouem Titius iugera vastus habet:
Tu maior cunctos animo te extendis in orbes,
Corpore susceptas non remorante vias.
Haud igitur peccet qui te vel vbiq; reponat,
Nam quemcunq; aptum dat tibi, Rhæde, *locum.*

ROBERTVS IVNIVS
ἀναγραμματιζόμενος.

ORta, Roberte, *tuo lis est de nomine Parcis*
Quum cœpisti aura vescier ætherea.
Ne tamen hæreret lis orta diutiùs, vna
Ex his, tu, Iuni, *vir bonus, inquit, eris.*

Ad clarissimum virum,
Dn. PATRICIVM IVNIVM,
Regiæ Bibliothecæ Curatorem,
Roberti fratrem.

TV quoq; nobilium, Patrici, *cura sororum*
Omnibus optatæ ius bonitatis habes.
Tu, cui tres Charites nascenti præstò fuere,
Gratia, dicentes, hæc tua nostra fuit.
Quid mirum est, Iuni, *quòd tu oderis acta maligni,*
Tu, cui cuncta boni sunt data dona viri?

Cla-

Clarissimo viro,
Dn. IOACHIMO MORSIO,
de bonis literis non malè merito.

QVi mecum Albioni peregrinus es antè receptus,
Iam sine me, Morsi, *deseris Albionem.*
I meus hinc animus, tibi summi rector Olympi
Dux sit, ego fido sum tibi corde comes.

Ad magnæ spei iuuenem,
IACOBVM FETZERVM.

ET virtutis amor, & honestæ regula vitæ
Ardua sunt animi sollicitudo tui.
Hæc tecum peregrè proficiscitur, hæc petit omnes
Tecum Europæas irrequieta plagas.
Heu mihi quàm est hilares tecum visura Penates,
Si, Fetzere, *tuo restituare Lari.*

Ad nobilem iurisconsultum, *& philologum,*
CORNELIVM PYNAKERVM.

SI nemo vatum, nisi qui de Cæsare laurum
Obtinet, à lauro, & Cæsare nomen habet,
Scire velim causam, qua, Pynakere, *poëtam*
Tu me laurigerum, Cæsareumq; voces?
Tu, qui cordatus nihil imprudentis in ore,
Quod sapiat vanum, futilitatis habes.

Tu, qui sola suis ea laudibus arbiter effers,
Quæ non Arcadicus Pan, sed Apollo canit.
Tu, qui virgineum vates Helicona secutus
Alter in Orphea factus es arte Maro.
Tu, qui nequicquam minus es Cicerone disertus
Quum tua pro miseris induis arma reis.
Tu, qui bis denos iuris monumenta per annos
Ausonio Themidis præco lepore doces.
Tu, qui tot nosti, quot nostra Europa loquelas,
Et tot vidisti, quot videt illa, plagas.
Tu, qui vexillum quondam vel tyro gerebas,
Inq; hostem aduersus Martis alumnus eras.
Tu, tu, qui tot habes, quot in vna mente locari
Possunt virtutes, quas voco mentis opes.
Te puto, cui Comitis decora omnia, & omnia cedunt
Iura Palatini, Principe dignus honos.
Deniq; te, qui me lauro facis immortalem,
Quiq; mihi æternum Cæsaris instar eris.

De lauro, & libanoto, seu rore marino, ad *Ioannem Campium, & Ioannem Bockhorstium,* Groninganos Belgas, viros optimos.

LAurus ter superat rorem virtute marinum;
Ros maris est lauro terq; quaterq; minor.
Laurus in arboreæ disponitur ordine plantæ;
Ros maris in fruticis conditione manet.
Laurus fert hyemem cum sæuo Aquilone ferocem,
Ros maris est tanti frigoris impatiens.
Laurus Musarum decus est, & Apollinis ardor,
Ros maris est Veneri sacrificantis amor.

Non maris est roris, sed lauri munus, vt ornet
Cæsareumq; caput, Cæsareumq; statum.
Nemo coronatur bene rore poëta marino,
Frons lauri meliùs tempora vatis obit.
Laus mea laurus erit populis æterna Latinis.
Donec erit laurus laus mea laurus erit.

Ad tyronem, qui facit tyrocinium in castris Musarum.

TV, qui Castaliæ nouus induis arma palæstræ
Miles & Aoniæ pars cupis esse scholæ,
Quære quod in summo Parnassi vertice bellum
Sacra Caballini numina fontis habent.
Non ob Amazonias est formidabile peltas
Quod sit Apollineæ robore militiæ.
Denique, tyro, tuam, Musarum, & Apollinis hostem,
Gaude Barbariem Palladis arte mori.

Poëta dimittit suos libros, qui sunt ei loco liberorum.

ITe mei nati, vestri vos temporis vsum,
Et ius, quod ius est lucis, habere volo.
Ite per humani vestigia blanda fauoris.
Ite, suos ætas hæc vocat, ite, duces.
Vos sale conspersos mitto sapientibus, ite:
Non sapit insulsa salsa culina gulæ.
Qui petit ambrosiam vestri capietur amore,
Et qui vulgares non solet esse dapes.
Ite foras, sapiens vos non remorabitur (is, qui
Momum agit, est is, qui non sapit) ite libri.

Ad Zoilum.

LIuor, qui vana virtutem corripis ira,
Qui vomis in niueos atra venena libros,
Desine vatis opus nullis violabile telis
Carpere, nullus ei, desine, liuor, obest.
Carpe quod est fatuus lasciui lusus amoris,
Multis amissæ causa pudicitiæ.
Carpe quod ingenium cacodæmonis arguit, & quod
Multos in Barathrum perditionis agit.
Sed cur verba, tibi non proficientia perdo?
Cur, velut Æthiopem, te sine fruge lauo?
Dente professorem veri mordace lacessis,
Et tua curantem vulnera ferre nequis.
O hominis monstrum, ô vacuum ratione cerebrum,
O dignum ellebori sorbitione caput.
Nemo, qui meliùs releuatus habere laborat,
Prudenter medicam negligit æger opem.
Nemo animi bonitate sui de more probatus
Sana salutiferi despicit ora Dei.
Displicet ergo tibi duntaxat, Zoile, soli,
Quòd placeat cunctis hæc mea cura bonis.

Ad eum, qui virginum prudentium cœtui aggregari desiderat.

NOn homo, sed Deus *est hoc in sermone propheta,*
Et proba veracis munera vatis obit.
Qui sapis illi ambas aduerte fideliter aures,
Et quod ab illo audis fac sapienter agas.

Ad flagitiosa Reginæ Pecuniæ mancipia.

QVamuis emeritos superetis Nestoris annos,
Et cunctas mundi possideatis opes,
Est tamen, in vestram quæ sæuiat aspera vitam,
Quæq; ad vos tristem deferat hora necem.
Hæc est, quæ ex dulci vobis sit amara, quòd ausit
Omnibus à vestris vos remouere bonis.
Hæc est, quæ irato vos corripit ore, quòd æquo
Sistat iudicio vindicis hora Dei.
Vos puto, quos nutu Regina Pecunia, *tanquam*
Seruiles animas, imperiosa regit.
Quos crudelis opum, scelerumq; licentia formis
Exuit humanis, & facit esse feras.
Vos, quibus æterni debetur pœna flagelli,
Et mala, quæ secum mors sine fine trahit.
Quos vstrina suis grauiter cruciatibus vret
Hic vbi Cimmeriæ nubila noctis agunt.
Quos mens vipereis infestat morsibus, & spe
Desperante grauis torquet vbiq; metus.
O plus quàm humanis, & non mortalibus aptum,
Qui norit dominas temnere diuitias.

Poëta de semetipso ad curiosum lectorem.

QVos mihi nupta creet Regina Pecunia *mores,*
Tu, qui scire lubens me referente voles,
Mutum scito lupum me conspexisse priorem
Quando relaturus quod petis orsus eram.
Qua cùm de causa nequeam me prodere, tu me
Prodito, & ingenij, si sapis, esto mei.

Re-

Regina Pecunia de semetipsa ænigmaticè.

REs ego sum mutæ, surdæq; simillima Vestæ,
Et cunctis viuæ sensibus orba rei.
Nulla mihi est ratio, quæ mentis in arce triumphet,
Quæq; sit arbitrij, iudicijq; parens.
Non caput est, in quo diadema gerentis honorem,
Nec manus est, in qua regia sceptra feram.
Non est inuictis cum diuis vlla potestas,
Nec vis, quæ humano regnet in imperio.
Sum regina tamen mortali credita vulgo,
Quæ quasi nupta Ioui cum Ioue cuncta regam.
Quæ velut humanæ incantatrix maxima turbæ
Pectora peruertam, fanda nefanda patrem.
Quæq; meo muter vel multo crebriùs astu,
Quàm dea, quæ variæ ludit in orbe rotæ.
Iure meum nemo tamen ausit rodere nomen,
Vlla vel in famam cudere damna meam.
Naturæ vi sponte meæ gero subdita morem
Gnauiter officij munere functa mei.
Hinc quoties habitæ vilesco nomine seruæ
Pareo prompta bonis, pareo prompta malis.
Nulla, profectò, meis accommoda moribus ars est,
Quæ sit vulpini more maligna doli.
Non ego commissi sum cuiquam criminis author;
Non ego damnato sum sua causa reo.
Nulla mihi est leuitas, animi inconstantis imago,
Nec mea quid grauitas improbitatis habet.
Denique credar homo, si quo arguar improba facto;
Si leuis, humana sim leuitate leuis.

Ad

Ad pecuniosum,

De ordine, vsu, & vtilitate quinq; librorum de *Regina Pecuma* per me conscriptorum.

Lib. 1. *QVàm sit in humanis* Regina Pecunia *rebus*
Res leuis, haud vulgi more poëta cano.
Lib. 2. *Et quàm sollicita tentetur ab omnibus arrha,*
Prodo in sexcentis, quos habet illa, procis.
Lib. 4. *Quin mala, quæ fugiat qui vult bonus esse, reuelo.*
Lib. 5. *Et bona, quæ faciat qui fugit ista, noto.*
Lib. 3. qui est medius inter duos extremos quiq; habet ipsas diuitias ad bonum, & malum vsum indifferentes. *Quæq; his extremis non sunt confinia metis*
In dubia medij sede repono loci.
Hæc vt habens habeas velut adiumenta salutis,
Effice vt ancipites sint bonitatis opes.

Poëta fastidit delicias Musarum.

NOmine Sirenum, deceptricúmve sororum
Vos ego, Pierides, non sine iure voco.
Quamuis Aonio cantetis carmina plectro,
Deliciosa meo pabula spiritui,
Corporis illa tamen non est in amore iuuandi,
Quæ vobis animi sollicitudo mei.
Cùm vel vtriq; suum non æquè detur habendum,
A vobis neutri ius ego malo dari.

Poëta valedicit Musis.

QVum sine fruge sequar ieiunæ castra Camœnæ,
Et mala, quæ nolim, cogar in hisce pati,
Parnassum, & Chirram pariterq; Helicona relinquam,
Ne me fortè necet quo petit ense fames.

Finis libri epigrammatum.

Mendum typographicum, pag. 2. lin. 4. lege nimis *loco* minis.